

aliquot naves instructæ, in Creta quoque & Eubœa; domi etiam hoc nomine retentæ, quæ ad mercaturam paulo post erant profecturæ. Marco Mauroceno Hadriatici sinus Præfecto ex Ragusio cum navibus, quibus præerat, accersito, quinque & triginta triremium classis expleta, Marco Rucinio data est: sed pro Rucinio Nicolaum Pisanum apud plures reperio. Is domo profectus, ut Genuensium naves, quæ dicebantur foris esse, assequeretur. Quum igitur, subita tempestate coorta, Carystium portum, qui in parte Eubœæ est, tenuisset, bona Venetorum fortuna accidit, ut quatuordecim Ligurum triremes per id tempus ibi stationem haberent (erant hæ mercibus onustæ, vim præterea armorum ingentem, multos quoque milites habebant) quibus consilium erat, Peram ad Bosphorum præsidio firmare, ne ob ea, quæ gesta fuerant, subitus aliquis a Venetis in suos populares loci incolas (ut sæpe alias) fieret incursus. Sunt qui eas triremes in Italiam redituras eo portu consedisse dicant. Venetæ classis præfectus, conspectis hostium navibus, confestim suos ad pugnam expediri jubet. Tum impigre omnes dicto audientes arma capiunt, in Ligurem proras detorquent, a fronte, a lateribus omnem exitum occludunt; præter vadusum latus, id enim, ne naves scopulis impactæ colliderentur, Venetus insidere non est ausus, tuebatur fauces portus. Ligur certus erat, omnia primo experiri, quam deditioem facere. Tum navium Præfectus, parte copiarum in proximum littus exposita, vicino hostibus loco munitionem tumultuario opere erectam præsidio firmat: hac quoque parte bellicis machinis Ligurem oppugnare adoritur, interim quoque ex navibus missilia in hostem assidue mittebantur. Quibus undique afflictus jam longioris moræ impatiens (quia omnia sibi in horas infestiora fieri cernebat) observato tempore antennas ac vela subito expedire incipit. Eum tumultum Venetus conspiciens, primo novitate rei aliquantisper defixus stetit. Sed posteaquam hostem se ad subitam eruptionem parare animadvertit, ipse quoque intentus expectare, qua primum parte

con-

1348

1350

*Ligustica
naves in
Carystio
portu op-
pressa.*